



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 50. de petitione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT L.

*De Petitione.**Quomodo
utendum
petitione.*

QVAMVIS tot actanta habeamus, ô Lector, admi-
nicula ad intellectum illuminandum, & vo-
luntatem accendendam, tamen parùm proderit quid-
quid ejusmodi est, nisi adspiret Dei gratia: & harebit,
ut sic loquar, navis animæ nostræ miserrima malacia &
tædio: si verò Spiritus Domini spiret, & nos gratiæ coo-
peremur, lætissimum celeusma canentes in portum
provehemur æternum. Quid verò faceret nauta instru-
ctissimam habens navim vento nullo spirante? nõne
sibi diffusus rogaret eum qui producit ventos de
thesauris suis? Hunc ergo frequenti petitione & obse-
ratione pro nobis & aliis orantes imitemur, Deo ad-
spirante, forma hæc forsitan usui tibi esse poterit, si pro-
pria desint.

Exercitium Petitionis.

Esd. i.

QVÆSO Domine Deus fortis, magne atque terribilis, qui
custodis pactum & misericordiam tuam, cum his qui te
diligunt, & custodiunt mandata & consilia tua N. Fiant aures
tua auscultantes, & oculi tui aperti, ut audias orationem servi
tui hodie, quia tempus miserendi, quia venit tempus, & ignoro
quando veniet nox. Audi ergo, obsecro orationem servi tui, quam
ego oro coram te hodie, ut possim facere voluntatem tuam, & in-
spirationes sanctas fideliter exsequi: nisi enim dignata fuerit ma-
iestas tua respicere me benignis misericordiæ suæ oculis, vanus est
labor meus, & meditatio mea. Obsecro ergo, Domine, sit auris
tua attendens ad orationem servi tui, & da mihi virtutes animæ
meæ necessarias, fidem vivam, spem firmam, charitatem per-
fectam, da cor humile & contritum, ut tibi placeam; largum &
liberale, ut te imiter; castum & purum, ut in eo conquiescas ho-
die, in eo tibi complaceas, in eo tibi esse delicia sint, & si non sit
locus in diversorio, sit saltem in stabulo hoc & praesepio ut pro in-
finitâ charitate tuâ, aliquando me recipias in æterna tabernacu-
la tua.

 *Applicatio
ad Com-
munionē.*

la tua, & abscondas me in abscondito faciei tuae à contradictione
linguarum, in die illà tremendà. da mihi cor dulce, ut te amem;
sobrium ut te gustem; mansuetum, ut discipulus tuus appaream;
studiosum & strenuum, cum promiseris mihi quae nec oculus vi- 1. Cor. 2.
dit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quae
parasti diligentibus te, & maxime quia dedisti te mihi toties
bone JESU, hodieq; mihi dabis, ut vitam habeam, & abundan-
tius habeam, ut moriar in te & vivam tibi.

O Pater aeternè, Domine Deus virtutum convertere, respice Psalm. 79.
de caelo, & vide, & visita vineam istam, & persceeam, quant
plantavit dextera tua, & super filium hominis, quem confir-
masti tibi: commoveant paterna viscera tua pericula nostra,
Deus meus, Deus totius consolationis, & reminiscere miseratio- Psalm. 24.
num tuarum, quae à seculo sunt: tu qui verbo uno potes omnia, & Obsecra-
dedisti nobis unigenitum Filium tuum, quomodo non omnia no- tio.
bis cum illo donabis? Exaudi, Domine, orationem servi tui, & Dan 9.
preces ejus, propter temetipsam, propter gloriam nominis tui li-
bera nos, & propitius esto peccatis nostris, ne des nos in appro- Psalm. 78.
brium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solij
gloriae tuae. tu enim dixisti, Invoca me in die tribulationis, eruam Psalm. 49.
te, & honorificabis me.

Venio igitur ad thronum misericordiae tuae, & quomodo repul-
sam pati potero; cum & sanguis dilectissimi filii tui clamet pro
me de terra non vindictam, sed pietatem? meritis ille fuit, ut non
despicias demerita mea: ille pro me postulavit cum lacrymis, & Hebr. 5:
exauditus est pro reverentia sua, etiam pro me minimo servu-
lorum suorum. si manus meae plene sint sanguine peccatorum,
respice, quæso, ad manus illas, in quibus me scribere dignatus
est; respice cor ejus sacratissimum, & inveniet Majestas tua
memoriam mei, & amorem & benignitatem erga me. Promisit
ille, Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; Ioan. 14.
benignitatis tuae est annuere, & Veritas aeterna, quod petimus in
nomine unigeniti Filii. Respice, quæso, in faciem illius, & ad sa-
crificium ejus, quod despicere non potes: respice ad preces San-
ctorum tuorum, Beatissime Matris Filii tui, & Patronorum
maiorum. Scio, Dominus, scio quia de se jam securi, de nobis solli-

citi sunt ipsi in portu, nos in mari naufrago: attende charitatem, quâ te complexi fuerunt & sanguinem suum fuderunt pro te. Monstra apud filium, ô Beatissima Virgo, nunc te esse matrem, matrem gratia, matrem misericordia; neque mihi tantummodo, sed Ecclesie afflictæ parentibus, & Superioribus meis, ut secundum voluntatem filii tui omnia sincerè dirigant; subditis, ut serrenter seruiant tibi; benefactoribus, ut pro temporalibus æterna consequantur, adversariis meis, ut in æternum Deo meo vivo et vero, et mihi charitate verâ conjungantur; peccatoribus, eheu! ut tandem oculos suos convertant ad solem iustitiæ; denique animabus, ut ad speratos amplexus citò veniant, et te videant cum Filio regnantem, et benedicant in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio pro aliis.

Praxis ad petitionem in oratione exercendam.

1. Tim. 12.

VARI orandi modi hîc traduntur, quos S. Paulus 1. ad Timotheum 2. commendat dicens: Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Quid sit oratio.

Primus modus est oratio, quâ mentem elevamus ad Deum, ut cum laudemus & glorificemus, ut Sancti in cælo perpetuò faciunt. Decet enim sic orationem inchoare, & ob id eam maxime instituere, Deumque exaltare magnaliaque ejus commemorare, ac quasi litaniam facere ex ejus perfectionibus, & ab una in cæteras debita cum mora transire, laudando eum, ut summè potentem, sapientem, bonum, sanctum, liberalem, longanimem, fortem, prudentem; item propter officia quæ erga creaturas præstare solet. Est enim creator, conservator, protector, gubernator, magister, pater, medicus, servator, glorificator earum. Sed de hoc modo actum superiori capite.

Psalm. 103.

Idem modus potest exerceri, percensendo virtutes & excellentias Christi Domini nostri, in conspectu ejus; quas in Incarnatione, Nativitate, cæterisque mysteriis monstravit, dicendo: Gaudeo vehementer, dulcissime Iesu, ob immensam charitatem tuam, & humilitatem, quâ de sinu Patris dignatus es in uterum Virginis descendere propter nos homines & salutem nostram, &c. Similiter potest quis potentias singulas animæ suæ provocare in laudem Dei, cum Prophetâ dicente: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto

sancto ejus: vel omnium creaturarum nomine ejus laudes vel
ut linguâ earum celebrare, eodem ferè modo, quo pueri in ca-
mino Babylonis. Benedicite omnia opera Domini Domino, *Dan. 3.*
huc etiam pertinet discurrere per Angelorum choros, & san-
ctorum ordines eosque ad Dei laudem invitare.

Secundus modus est, per gratiarum actionem, qui modus & *Gratiarum*
affectus sæpissimè in oratione, & per diem usurpandus: de quo *actio.*
pluribus supra dictum.

Tertius modus est, per petitiones, quibus mala deprecamur, *Petitio.*
& bona nobis petimus, virtutes & gratiam Dei, devotionem.

Fit autem petitio hæc, mala & plagas, ut mendici faciunt, Do-
mino nostro ostendendo, & desideriis ardentibus ejus auxiliû
implorando. Secundò, per insinuationem, cum perpauca ne-
cessitatem nostram & desiderium exponimus, atque eo suspen-
sum coram Domino velut catelli comedentes de micis quæ
cadunt de mensâ domini sui, & sicut oculi ancillæ in manibus
dominæ suæ: ita oculi nostri sint ad Dominum Deum no-
strum, donec misereatur nostri: Sic petebat ille dicēs, Domine,
si vis, potes me mundare: sic & Martha, Domine, si fuisses hic,
frater meus non fuisset mortuus, sitque ex reverentiâ magnâ,
vel magnâ fiduciâ, ut cum sorores dicerent *Lev.*, Ecce quem
amas, infirmatur.

Quartus modus est, explicitè petere à miseris liberari, & *Obsecratio.*
virtutes obtinere cum obsecratione, quæ est similis cuidam ad-
juratori, offerendo varias rationes. Prima est propter Deum
ipsum: sic David orabat dicens. Propter nomen tuum propitia-
beris peccato meo: multum est enim, id est, quia decet magni-
tudinem & bonitatem tuam, & ne hostes illudant tibi, velis
qui confidunt in te, quasi non adjuves, & frustra tibi serviatur.
Item quia est pater & protector, &c. Secunda ratio, seu titulus
obsecrandi est, per Christum Dominum: merita enim illius al-
legare possumus, vitam, passionem, & mortem ejus, promissa
illi facta, quòd hoc ad gloriam ejus spectet. Tertia ratio ob-
secrandi est, offerre Domino merita Sanctorum, & maximè
D. Virginis & matris unigeniti filii ejus.

Notandum verò Primo, quòd Granatensis admonet, expe- *Plurimæ vè-*
in dire petitione varias postulare virtutes, & remedia defectuû *ritates pe-*
nostrorum; hoc enim modo renovari saltem proposita, & plu- *tenda.*
rimùm spiritum promoveri. Idèd hic virtutes, quæ vitiis capi-
talibus opponuntur appositæ sunt, una cum fide & sp̄s.

Neque tantùm pro se quis obsecrare debet; sed ex charitate *Pro quibus*
pro Ecclesia, Superioribus, benefactoribus, adversariis, pecca- *or iudicatis*
toribus & animabus defunctis, quos omnes in Christ. crucifixi
T 2 membris

membris collocare possumus : Ecclesiam ejus sponsam in corde, Superiores in capite, subditos in sinistrâ, benefactores in dextrâ, adversarios in genibus peccatores in pede sinistro, animas purgandas in dextro.

Notandum Secundò, septem Horas canonicas his septem ordinibus hominum, pro quibus orandum est, posse applicari.

Notandum Tertiò, ad attentionem conciliandam etiam fore utile discrimina illa, quæ corporaliter hîc videre licet expressa, spiritualiter concipere, atque hoc pacto stimulos nobis addere, ad fervorem in oratione aliisque pietatis exercitiis.

Dignatus es, ut supr. pag. 10.

CAPVT LI.

De affectibus Orationis in genere.

NOTA diligenter animam nostram solâ voluntate bona mereri, sola illa sancta verè Deo placere. Attende igitur in omni Meditatione & piâ consideratione nullum meritum esse, & parum utilitatis, nisi voluntatis actus & affectus simul exerceantur. Pluris certè unus voluntatis actus est apud Deum, quàm scientia totius orbis terrarum. Quid enim prodest homini si eum noverit, immò lucretur, & animæ suæ detrimentum patiat? Hæc adfero ut in omni Oratione affectibus maximè insistas, & ante omnia amoris. Insistere autem affectui potes ductum Spiritus sancti sequendo, quoties ille spirat in anima tuâ. Quando verò non spirat, vela, ut sic loquar, piarum cogitationum pande, & vel jaculatoris his utere, aut prolixiori affectu te exerce. Adverte igitur præcipuum finem in affectu positum esse, vnus enim charitatis actus vel contritionis Filium Dei & beatum facit. Hos itaque familiares habe, neque tamen alios negliges. Cavendum autem tibi ne sicut picæ de uno in alterum affectum transilias, sed altè imbibas oportet unum aliquem, maximè charitatis, humilitatis, patientiæ, &c. Inter affectus numerare etiam poteris Dei præsentiam, quam in omni Oratione, maximè tamen initio vivificare oportet, idque eò facilius,

Matth. 16.

Affectibus maximè insistendum.

Quomodo affectibus utendum.

Non est de uno in aliū leviter

transseundū. Affectibus etiam adice Dei præsentiam.